



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

Contra vanam & secularem scientiam. 43

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

semper quærit. Si scires te perfectè annihilare, atq; ab omni creato amore euacuare, tunc deberem in te cum magna gratia emanare. Quando tu respicis ad creaturas, subtrahitur tibi ad spectus creatoris. Disce te in omnibus, propter creatorē vincere, tunc ad diuinam valebis cognitionem pertingere. Quantumcumque modicum sit, si inordinatè diligitur & respicitur, retardat à summo, & vitiat.

## CAP. XLIII.

*Contra vanam & secularem scientiam.*

Dominus.  
1. Cor. 4

**F**ili, † non te moueant, pulchra & subtilia hominum dicta. Non enim est regnum Dei in sermone, sed in virtute. Attende verba mea, quæ corda accendunt, & mentes illuminant; inducunt compunctionem, & variam ingerunt consolationem. Numquam ad hoc legas verbum, vt doctior aut sapientior possis videri. Stude mortificationi vitiorum, quia hoc amplius tibi proderit, quàm notitia multarum difficilium quæstionum.

2. Quum multa legeris & cognoueris,

ris , ad vnum semper oportet redire principium . Ego sum , qui doceo hominem scientiam : & clariorem intelligentiam paruulis tribuo , quàm ab homine possit doceri . Cui ego loquor , citò sapiens erit , & multùm in spiritu proficiet . Væ eis , qui multa curiosa ab hominibus inquirunt , & de via mihi seruiendi parùm curant . Veniet tempus , quando apparebit Magister magistrorum Christus , Dominus Angelorum , cunctorum auditurus lectiones , hoc est singulorum examinaturus conscientias . Et tunc scrutabitur Ierusalem in lucernis , & manifesta erunt abscondita tenebrarum , tacebuntque argumenta linguarum .

*Soph. 1.  
1. Cor. 4*

3 Ego sum , qui humilem in puncto eleuo mentem : vt plures æternæ veritatis capiat rationes , quàm si quis decem annis studuisset in scholis . Ego doceo sine strepitu verborum , sine confusione opinionum , sine fastu honoris , sine pugnatione argumetorum . Ego sum , qui doceo terrena despiciere , præsentia fastidire , æterna quærere , æterna sapere : honores fugere , scādala sufferre , omnem spem in me ponere ,

extra

extra me nil cupere, & super omnia me ardentem amare.

4 Nam quidam amando me intimè, didicit diuina, & loquebatur mirabilia. Plus profecit in relinquendo omnia, quàm in studendo subtilia. Sed aliis loquor communia, aliis specialia: aliquibus in signis & figuris dulciter appareo, quibusdam verò in multo lumine reuelo mysteria. Vna vox librorum, sed non omnes æquè informat: quia intus sum doctor, veritas, scrutator cordis, cogitationum intellectus, actionum promotor, distribuens singulis, sicut dignum iudicauero.

CAP. XLIIII.

*De non attrahendo sibi res exteriores.*

Domini- I **F**lli, † in multis oportet te esse in-  
nus. scium, & æstimare te tamquam  
Gal. 6. mortuum super terram, & cui totus  
mundus crucifixus sit. Multa etiam  
oportet surda aure pertransire, & quæ  
tuæ pacis sunt magis cogitare. Vtilius  
est oculos à rebus displicentibus auer-  
tere, & vnicuique suum sentire relin-  
quere, quàm contentiosis sermonibus  
deser-